



# **Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten**

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1843**

CLXXXIV. Otto, Albert und Otto, Markgrafen von Brandenburg, schenken  
dem Nonnenkloster zu Dobbertin das Dorf Sagewitz, am 9. Januar 1280.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

bus, territoriis atque insulis in terra marique, ad provincias, civitates, territoria et loca predicta quoquo modo spectantibus, nec non super civitate Romana et regno Sicilie cum omnibus ad ipsam spectantibus tam citra Farum, quam ultra; Corsica quoque atque Sardinia, et ceteris terris ac iuribus ad ipsam ecclesiam pertinentibus, nos nostri nomine principatus in omnibus et per omnia approbamus et ratificamus; ac eisdem omnibus et singulis et quibuscunque aliis super eisdem per eundem regem quoquo modo factis et in posterum faciendis, voluntatem nostram, assensum atque consensum, irrevocabiliter exhibemus, et promittimus, quod contra premissa vel aliquod premissorum nullo unquam tempore veniemus, sed ea omnia et singula pro posse nostro procurabimus inviolabiliter observari. Et ut hec nostra voluntas, approbatio, ratificatio, assensus, consensus atque promissio a nobis eisdem Romanis pontificibus et ecclesie in perpetuum observentur, hoc presens scriptum inde fieri fecimus nostrorum sigillorum munimine roboratum. Datum et actum anno Domini MCCLXXIX. II. Id. Septemb., regnante predicto domino nostro Rodulpho Romanorum rege glorioso, regni eius anno VI°.

Nach Künig, Spicileg. ecclesiastic. Cont. I, S. 183. Perz, Monumenta historica Germaniae IV. Leg. II. 421. 422. Buchholz IV, 108.

**CLXXXIV.** Otto, Albert und Otto, Markgrafen von Brandenburg, schenken dem Nonnenkloster zu Dobbertin das Dorf Sagewitz, am 9. Januar 1280.

In nomine sancte et individue Trinitatis Amen. Nos Otto, Albertus et Otto, Dei gracia Marchiones Brandenburgenses, omnibus in perpetuum. Humane actiones a memoria hominum laberentur, si non voce testium vel literarum testimonio firmarentur: fidele namque scriptura tenet testimonium atque ratum. Hinc est, quod nos pietate moti, clauetro Dobbertin sanctimonialium, ordinis sancti Benedicti, damus villam Sagheuitze cum omni proprietate et cum omni potestate juris, nichil juris in eadem villa prehabita retinentes. Damus itaque cum eisdem limitibus siue metis, sicuti ipsa villa nunc locata consistit, et si qui sint aqueductus, in quibus possent construi molendina, et cum omnibus attinenciis, lignis, paschuis atque pratis. In horum predictorum certitudinem evidentem, presens scriptum scribi fecimus et sigillorum nostrorum appensione iussimus roborari. Rei hujus testes sunt Gheuehardus venerabilis Episcopus Brandenburgensis, Helmoldus et Nicolaus Comites Zwerinenses, (Jaczo?) de Gutzekowe, Geuehardus de Aluenfleue, Arnoldus Jagowe, Zabellinus de Reddigtorp, nostri milites predilecti. Datum in Kyritz, anno Domini M° CC° LXXX°, V° Idus Januarij

Nach Rubloff, Cod. dipl. hist. Meg. I, 103. 104.